

I. N. J.

50

*Exercitium Theologicum*

de

*Vera Generatione Filiorum Dei  
Vanam Spuriarum trigam  
Excludente,*

*Joh. Ev. I: 12, 13.*

Quod

Consensu Max. Ven. Facult. Theol. in Reg.  
Acad. Aboënsi,

*Præside*

*LAUR. O. LEFREN,*

S. S. THEOL. PROF. REG. ET ORD., NEC NON ECCLES. QUÆ CHRISTI  
IN VALLE GRATIÆ, RESO ET MERIMASKO COLLIGITUR,  
PASTORE ET ACAD. H. T. RECTORE,

Publicæ censuræ offert

*GUSTAVUS KOCK,*

*Westrobotnienfis.*

In Auditorio Majori die XIII Junii Anni  
MDCCXCVII.

---

*ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS,*

Härad-s-Domaren

Vålaktad

JOHAN NILSON KOCK,

Min hulde Fader!

Den ömhet hvarmed min hulde Fader ifrån min lefnads början omfattat mig, ålägger mig en förbindelse, som jag långt ifrån at kunna upfylla, åfven med orden förgäves bemödar mig at vårdigt tolka. Edra välgerningar hafva visat sig förrän jag lärt at tänka och tala: de hafva följt mig genom min barndom, beständigt ökats med åren, och icke upphört til denna stund. Rörd af den lifligaste erkänsla häröfver, skattar jag detta ögonblick för det gladaste i min lifstid, då jag får genom dessa blads tilågnande tolka, churu svagt, det ömimaste hjertas tackamma kånslor. För Eder sällhet skall jag aldrig upphöra at anropa Gud, all godhets belöbnare, och at med vördnad vara,

Min hulde Fader,

JOHAN NILSON KOCK,

Eder lydigste Son  
GUSTAF KOCK.



## §. I.

**N**on dubito fore, Lectores, quibus molestum videatur evolvere Oraculum Scripturæ, cui hanc nostram superstruximus opellam; iis igitur otium fecisse juvabit statim initio adponendo textum Oraculi Græcum, ut eum illlico legere et expendere possint. Sic vero habet: "Οσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἐδωκεν αὐτῷ εἰχοταί τέκνα Θεῶν γενέθλαι, τοῖς πισένθοις εἰς τὸ ὄνομα αὐτῷ. Οἱ δὲ εἰς αἴματαν, οὐδὲ ἐν θελήματος σφενός, οὐδὲ ἐν θελήματος αὐδόγος, αἷλλοι ἐν Θεῷ ἐγεννηθῆσαν. Priusquam sigillatim determinare adgrediamur, quid sibi velint voces et phrases, quæ in hoc occurrunt Oraculo, universim observasse juvabit, Evangelistæ hoc loco sermonem esse de PERSONA quadam EXIMIA, quæ aliis conferre possit facultatem, qua præstari queat, ut nati seu filii evadant Dei, non vana nomenclatione, sed vera generatione tales; hanc vero generationem neque naturalem, neque artificialem, sed supernaturalem esse, unice per fidem in nomen EXIMIÆ hujus PERSONÆ impetrandam, cuivis constare arbitror. Quamvis autem duæ enunciationes: *credere in personam aliquam*, et: *credere in nomen ejusdem generatim et materialiter idem plerunque valeant*, fieri tamen potest, ut speciatim et formaliter differant, adeo ut hæc posterior tantundem importet, ac potissimum fidei fun-

fundamentum, in illa ipsa ponere circumstantia, quam nomen etymologice insinuat. Videamus igitur, an persona, de qua Evangelista hoc loco loquitur, nomen aliquod gerat, in quod modo allata observatio quadret.

## §. II.

In primo statim commate hujus ipsius capitinis, ex quo argumentum Disputationis sumfimus, appellatur *Xóyos*, verbum, sermo, narratio, oratio. Vulgo nota est loquendi ratio, qua effectum pro causa, per metonymiam, adhibetur. Hoc admiso, *Oratorem* significat, quo nomine latinis venire solebant *legati*, quos principes ad se mutuo, de causis maximi momenti, v. g. de inimicitiis tollendis et amicitiis ineundis mittere solebant. Ex quo protoplasti mendacio serpentis infernalis seducti et occaecati, Deum sibi representare cooperant ut *juratum inimicum*, qui, *invidia* et *superbia* ductus, corum felicitati *infidias* struxisset, non poterant non eum summo odio prosequi. Ad odium hoc delendum et pristinam amicitiam de novo introducendam misit Deus filium suum unigenitum, Iesum Christum, *λόγον*, *Oratorem*. Quoniam vero principia dicti odii cussa latebat in defelui verae Dei cognitionis, prima divini hujus legati cura erat, eo sanitatis perducere deceptum ac seductum genus humanum, ut homines Deum sibi haud aliter representarent, ac purum putum AMOREM, I. Joh. III: 6. infinito intervallo ab omnibus vitiorum fordibus, quibus pater mendacii Joh. VIII. eum conspurcare fateretur, remotum. Hæc est vita æterna ut cognoscant Te solum verum Deum, et QUEM MISSTI, Iesum Christum, Joh. XVII. 3. Hinc credere in nomen Ejus est ipsum pro Legato divinitus misso agnoscere, Ejusque doctrine omnem adhibere fidem, idque eo tuius, quod non natura quædam creata, sed ipse creator est. In

Sym-

Symbolo quidem Apostolico legimus, *Deum Patrem cœlum & terram creasse*. Hoc veritati utique consentaneum est. Interea ipse Pater suam manum operi creatinnis immediate non admovit, sed totum negotium F<sup>I</sup>LIO et suscipiendum et perficiendum commisit. Hoc nos docet Evangelista Johannes, loco nuper citato, ubi, postquam docuerat, ἀλόγονον jam tum extisit, cum mundus initium caperet, Eum esse *Deum* diserte pronunciat, idque ex opere creationis demonstrat, *omnia, inquiens, per Eum facta sunt, et sine Eo factum est nihil, quod factum est.* Paria docet Paulus brevius, Hebr. I: 2. et prolixius Col. I: 16. Non igitur alium, quam *ipsum* ob oculos habuit Johannes, cum non alios adipisci diceret potestatem, quæ Eos Filios Dei reddit, quam qui a *Deo nati* sunt.

### §. III.

Quoniam vero non alii in nomen *Divini* hujus Legati credunt, quam qui a *Deo nati* sunt; paucis exposuisse juvabit, quam notionem verbo credendi tribuere oporteat. Quamvis, quid sit credere, quid non credere, tam simplex sit quæstio, ut vel infantes ad eam recte respondere possint, nescio tamen quomodo tam docti, quam indocti hic *nodum* in scirpo querere soleant, *disinitiunculis & distinctiunculis* haud aliter ludentes, ac pueri ludunt latrunculis, quos, ut quisque audacior, quam peritior fuit, ita eos dicit et ponit inconsideratus. Nihil tam miserrabile, quam quod iis accidit, qui, ut *falsum*, sibi interesse querant, non tam integra et solida fidei substantia, quam aliis atque aliis ejusdem fracturis, ut ita dicam, contenti sunt. Recte monuit Paulus; eum, qui ad *Deum accedit, credere oportere, Deum esse et præmia largiri iis, qui ipsum querunt*, Ebr. XI: 6. Nisi vero accesieris et quæssi-

4

veris parum tibi hanc fidem profuturam experieris. Aequum recte monitum est a Jacobo: *Tu credis, Deum unum esse; bene facis.* Dæmonia quoque istud credunt et horrescant, Epist. II: 19. Si morti vicinus gloriareris, quod te gregi fortium Spiritum, ut dicimant, non aggregaveris, vana erit gloriatio. JESUS CHRISTUS isque crucifixus, verum deum filius dei objectum est. Nam qui negat Filium, neque Patrem habet; qui confitetur Filium, Patrem quoque confitetur, I. Job. II: 23. Sunt, qui fidem in desiderio meriti Christi ponunt, provocantes ad dictum Salvatoris: *beati sunt qui esuriunt et sitiunt justitiam,* Math. V: 6. Sed præterquam, quod Salvator Sapientissimus, beatitatem non tam aestimandam vilit ex præcedente desiderio, quod verbis esuriendi et sitiendi empharice exprimit, quam ex subseqrente saturatione, quæ, deleto desiderii tædio, animum creditis divino explet gaudio. Non tam immediate ad justitiam suam imputatam dignum hic intendit Salvator, quam mediate ad *Exortus tenuit  
Dei yevēdāi*, quæ facultatem abnegandi omnem impietatem et mundanas concupiscentias, ut sobrie, juste et pie in hoc mundo vivamus, Tit. II: 12. involvit.

#### §. IV.

Jure autem vereor, ne ii, qui fidem in puro puto iustitiae desiderio ponunt, falsum aliquod interesse eo ipso tam sibi metipis quam aliis querant. Nam cum ad solidam fidei substantiam pertinere audint certitudinem & convictionem, qua ipsi se destitutos sentiunt, tales sibi fidem fingere solent, quæ cum secura eorum conscientia consistere possit, ne hæc excitata vitam eorum continua latratibus ac morsibus inquietam et incommodam reddat, non memores dicti Salvatoris: *beati sunt qui lugent, quia ipsi solatio erigentur,* Math. V: 4. Neque id diu necesse habebunt

bunt desiderare, confirmante ipso Salvatore, qui dixit: *venite ad me omnes, qui laboribus et oneribus fatigati es- tis, et Ego vos tranquillos reddam*, Math. XI: Conf. Apocal. III: 20. Non igitur mirum est, quod qui ipsi ita animati sunt, erga alios perversa utantur misericordia, stolidae confirmantes infana eorum præjudicia, quibus fidem falsam pro vera et nullam pro insirma haberi volunt. Hinc cum morbo correpti mortique vicini sunt, sacerdotem ad se accersunt hoc unum ab eo expetentes, ut se solatio afficiat, quamvis forte nibil minus, quam solatio indigeant. Interea nullibi unquam nec veriorem, nec meliorem prudenter Scholam inveniet bonus animarum Medicus, quam ad lectos ægrotantium. Maxima ei opus est cautione, ne vel qualitate vel quantitate medicamentorum peccet. Tutissimus ibit, si se ductui Spiritus Sancti permiserit, qui eum in omnem ducat veritatem, Joh. XVI: 13. Sine hoc duce frustra eris, si vel mille volumina caluum conscientiae memoriae mandayeris.

## §. V.

*Fidem*, ut de ea dicere pergam, in *historicam* et *san-  
ctificam* male dividunt, male *disiunt* Theologi, quibus magis cordi est Scholæ, quam vitæ doctrinam accommodare. Illa enim est quæ creditur, hæc vero quæ creditur. Perinde enim se hæc habet divisio, ac si Civitatem Academicam in doctos et libros divideres. *Historiam salutis*, quæ *objectum fidei* est, quo jure *fidei partem* constitues? Sed de verbis litigare nolumus. Interea fieri posse, certum est, ut, qui memoriam doctrinis refertam habet, animum fidei vacuum habeat. Sunt qui, ubi de fide salivifica sermo est, assensum et fiduciam pro diversis fidei

partibus habent, sunt qui his duobus vocabulis rem unam  
 eandemque intelligunt. Si assensus intelligitur incompletus,  
 non est pars fidei, seu fiduciae, quæ consensum involvit comple-  
 tum. Si consensus fuerit completus, acquiescentia, per  
 quam fiduciam definiunt, ipsa erit. Interim vocabu-  
 lis ludere non decet. Fidem non esse fidem, nisi ple-  
 nam involvat convictionem deiis veritatibus, quæ objectum ejus  
 constituunt, certum est. Credere et dubitare tam sibi contraria  
 invicem sunt, quam calidum et frigidum. Dubitatio certe  
 Paulo pura puta audit incredulitas, Rom. IV: 20. Conf.  
 Jac. I: 6. Nullam igitur neque veriorem, neque melio-  
 rem fidei definitionem dari posse, certum est, quam quæ  
 a Paulo data est, his verbis: "Εσί δὲ πίσις ἐλπιζομένων υπό-  
 σασις πρεσυμέτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων, Ebr. XI: 1. Vis  
 hujus definitionis a notionibus pendet duorum vocabu-  
 lorū: ὑπόσασις et ἔλεγχος. Illud aliquid *firma* et *solidi* signi-  
 ficat, qualis est *substantia*, si conferatur cum iis, quæ sua natura  
 sunt mutabilia, instabilia et inconstantia; quare prædicari so-  
 let de iis, quæ opposita sunt *meteoris*, quibus nihil mutabilius  
 est, et de sedimentis in vasibus, quæ aqua supernatante multo  
 stabiliora et constantiora sunt. Hoc vero, nimicum ἔλεγχος,  
 generatim et materialiter significat *certam* et *firmam* ani-  
 mi *persuasionem*, quam *convictionem* vocant, speciatim vero  
 & formaliter *demonstrationem* indigitat, quæ ex argumentis  
 proficiuntur dilucidis. Vi enim Etymologiæ de rebus  
 prædicatur lucidis ac nitidis, quæ fulgorem ac splendorem  
 emittunt. Apprime igitur apposite hic adhibetur ubi ser-  
 mo est de rebus invisibilibus, quas quasi oculis visendas  
 exhibit. Sed talem certitudinem et convictionem animo  
 ingenerare humano, qui facilius sibi putidissima menda-  
 cia persuaderi patitur, quam veritates omnium factissimas  
 et pretiosissimas, hoc opus hic labor est. Illud certe non  
 humana, sed divina virtute præstari posse, certo certius est.

Quare

Quare, Paulus cum de productione fidei loquitur, non satis habet simpliciter dicere, hanc Divina fieri virtute, sed verba cumulat dicendo: καὶ τὶ τὸ ὑπερβούλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτῆς εἰς ἡπᾶς τὰς πισεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς ιράτης τῆς ἰσχύος αὐτῆς, ἣν ἐνίσχυπτεν ἐν τῷ χριστῷ, ἐγένετος αὐτὸν ἐν νεοῖς, Eph. I: 19. Tria vocabula: ἐνέργεια Κράτος et ἰσχύς, satis evincunt, quantæ molis sit fidem in animo humano producere, quippe ad quod non minor requiritur operatio potentis Dei virtutis, quam ad resuscitandum ex mortuis Christum, cui omnia omnium hominum peccata mortem meruerunt, adeo ut non in epte dici possit, tot subiisse mortes, quot individua hominum a morte servatum ivit.

### §. VI.

Ut eo clarius constet, quantæ molis sit eam in homine mutationem producere, quam vocabulum *generationis* ex Deo importat, paucis docuisse juvabit, quid sibi vellint vocabula ἀγένητον Χ. τ. λ., quibus Evangelista spurias, quas diximus, generationes natorum Dei describit. Vocaculum αἷμα, *sanguis*, in antiquis ac hodiernis juxta lingvis *prosapiam* significat, hoc vero in plurali numero prolatum *prosapiam* indigitat communibus ac vulgaribus *illustriorem*. Usu enim receptum est in linguis sacris, ut in numero multitudinis efferantur nomina, quæ aliquid eximii et egregii designant, verbi gratia τὰ ἄγια, pro τῷ ἄγιον, Sanctum Judæorum templum, quem loquendi morem imitatus est Jesus puer, cum substitisset in templo et parentibus Eum quærentibus diceret: *Quid est quod quærebatis me?* *Nesciebatis oportere esse me:* ἐν τοῖς τὰς πατέρος με; pro τῷ τὰς πατέρος με, Luc. II: 49. Nominatim hoc loco

loco indigitatur *prosapia Abramam*, qui pater adpellatus credentiam, pietatis laudibus in toto mundo florentissimus fuit. Notum enim est, quantopere Judæi de eo se gloriantur, quod genus ducebant ex hoc *princepe Dei*, ut adpellatur a vicinis suis Chitæes, Gen. XXII. Quam yana fuerit gloriatio Judæorum de hoc generis sui Satore, haud obscure constat ex severissima Salvatoris Disputatione cum Scribis et Pharisæis, quam his tandem verbis finiebat: *vos ex patre diabolo estis*, Joh. VIII: 44. Occasio tam severæ exprobrationis hæc erat, quod se non tantum *Abrabami*, sed ipsius etiam *Dei filios* adpellabant. Sed satis de hoc.

## §. VII.

Nunc progredi licet ad explicationem vocum θελήματος σαρκός. De priori harum vocum nihil attinet dicere, cum potio usitatisima, qua voluntatem ejusque decretum atque conatum efficiendi significat, huc optime quadret. Vox vero σάρξ cum πολύσημος sit, paulo prolixiori eget explicatione. Proprie *carnem* significat, partem animalis sequiorem. Deinde cum de homine prædicatur, non raro *totum hominem* denotat. Interim tamen inter animam et carnem, quando synecdochice adhibentur, hoc interest discrimen, ut σάρξ non tam personam, quam *naturam* denotet, et quidem nominativum, quatenus variis *obnoxia* est infirmitatibus. Quare paulo infra in eodem capite, ubi de incarnatione Filii Dei sermo est, λόγος non dicitur neque ἀνθρώπος, neque ψυχή, neque πνεῦμα, sed σάρξ factus. Sensus igitur huc redit, tam *imbecillam esse naturam hominis*, ut quantumvis VELIT, suis tamen viribus efficere non POSSIT, ut illam ipsam adquirat ἐξστατική, potestatem, quam ὁ λόγος credentibus in nomen suum dat. Quum Johannes inter

Judæos natus et educatus esset, facile nobis persuademus, eum his verbis digitum intendisse ad sectas *Judeorum*, quæ multis et variis utebantur institutis religiosis, quæ quo diligentius sequerentur, eo se digniores putnbant, qui ex Deo nati citarentur.

### §. VIII.

Ex his nominasse sufficiat Pharisæos et Essæos, quorum utrique magnam pietatis gloriam apud imperitam plebeculam aucupabantur. De utrisque scorsim. Pharisæorum instituta ex historia Evangelica innotuerunt. Quamvis vero Salvator non pauca facta eorum atro carbone, tanquam mere hypocritica, notaverit, ea tamen videri nolebant talia. Ipsum internecinum odium, quo Jesum persequebantur, in numerum officiorum erga Deum referebant. In præceptis cultum Dei spectantibus rigorosissimi erant. Arma armis opponere religioni sibi ducebant. In ceremoniis religiosis multiplicandis modum excedebant. In precando multi erant, Corpora sua multi bis qualibet septimana jejunis macerabant, et interea cibis utebantur tenuioribus. Ad Proselytas faciendos magno studio incumbebant. De deciminis multas et varias ferebant leges. Quam parum autem his omnibus, ad animum emendandum et sanctam vitam transigendam profecerint, manifestum est ex frequentibus exprobationibus Salvatoris, quas multa et varia eorum vitia justificabant. Præterquam enim, quod bona eorum opera puram putam redolebant hypocrisin, turbabolento ingenio erant, et, cum usu veniret, ut inter se de scitis dubiis disputatione, haud raro nodos gordios gladio secabant. Huc si adjeceris turpisimam Sectæ avaritiam, superbiam et alia id genus vitia, haud difficulter intelliges, quam parum θέλημα σαρ-

z̄as valeat ad animum humanum iis ornandum virtutibus,  
quibus veri Dei filii resplendent.

### §. IX.

Idem dicendum de Esæis, quos Iudeorum separatis merito dixeris. Hi Phariseis multo meliores ponebantur. Librum Divinitus acceptum humanis assumentis non dehonestabant, ut Pharisei, qui traditronibus majorum nihil fere sanctius habebant. Si virtutes eorum ad singula Legis præcepta exigere velimus, haud multum desiderabimus, quod a Secta divini et humani juris studiosissima exspectari posfit. In rebus ad culterum Dei publicum spectantibus multo erant Phariseis scrupulosiores. Tantum aberat ut nomen Dei falsis juramentis profanarent, ut a jurando prorsus abstinerent, adeo veracitatis studiosi, ut mendacii damnatum censerent, cui sine Deo credi non posset. De studio eorum circa sabbatum sanctificandum hoc unum adduxisse sufficiat, quod die Sacris faciendis destinato nec ignem accendere, nec vas a de loco in locum movere in licitis habebant. Quid? quod ne alvum quidem hoc die exonerare fas crederent. Homicidii, adulterii, latrocini nulla apud eos existabant exempla, quippe quibus vitiis oppositis florebant virtutibus, quos sigillatim recensere prohibet festinatio. In delinquentes severi erant, eos tamen non vita privandos, sed e suafectæ consortio excludendos judicabant. Utcunque autem præclarum hæc omnia arguant *Σέληνας*, illud tamen *σεληνός* tuisse, indubium est.

### §. X.

Nunc ad alterum pergimus *Σέληνας*, quod Evangelista vocat. In Lingua Hebræa *וְנָה* et *וְנָה*, in Græca ἀνή

25 ) II ( 26

avng et avDevnos, in Latina vir et homo, in Svecana man, et mennista ita sibi invicem opponi solent, ut prius semper personam indigitet in suo genere præstantem, excellentem et insignibus vel corporis vel mentis veribus illustrem. Nomine igitur ἀνδρος hoc loco innui Johannem Zachariæ, et res ipsa et scopus Evangelistæ extra controversiam ponit. Quantus autem vir hic Johannes fuerit, aliunde certius intelligi non potest, quam ex testimonio ipsius Salvatoris, quo eum dixit πειστότερον προφήτα, Propheta majorem, his adjectis: Johanne Baptista nemo inter natos ex muliere major est, Luc. VII: 26, 28. Hic a Deo missus Messia præcursor, omnibus suis auditoribus, qui agminatim ad eum confluabant, quam fieri poterat diligentissime persuadebat, ut poenitentiam agerent. Hinc factum, ut multi, quos baptismo initiatos in suam suscep perat disciplinam, Eum pro ipso haberent Messia. Hi æquo animo ferre non poterant, ut Jesus a suis discipulis pro Messia adgnosceretur. Johannes igitur suis diligenter inculcabit, ut, se relieto, Jesum sequerentur, se enim servum, Jesum vero Dominum esse, verbis perspicitiis profitebatur. Tantum vero aberat, ut hoc omnibus persuadere posset, ut non exiguis esset numerus eorum, quibus magis ad palatum esset severiori Johannis, quam blandiori Salvatoris disciplinæ obtemperare; quæ omnia prolixius et liquidius in historia traduntur Evangelica. Vide Math. XI. Marc. I. Luc. VII: 18. seq. Nec hoc loco præte teundum, quod ex relationibus peregrinatorum accepimus, florere etiamnum in Oriente Sectam religiosam, quæ nomine Discipulorum Johannis insignitur, a Disciplina Christi nimium quantum discrepans, adeo ut vel exinde constet, quam parum proficiant, qui, præterito Christo crucifixo, ex alia quacunque Schola consilium et auxili um querere satagunt, quo efficiant, ut exterior et inten

rior eorum homo talem colant consensum, qualem in vestis Dei filiis colunt.

### §. XI.

Quod si jam ea, quæ de tribus his vocibus paulo uberioris disputata sunt, in compendium mittere velimus, hanc ex iis brevissimam concinnabimus sententiam. Si sanctissimæ sis prospiciæ et maiores nominare possis, quorum fama pietatis atque virtutis totum implevit mundum, si severissimæ traditus disciplinæ Magistros audiveris optimos, qui te exquisitissimis præceptis et excellentissimis exemplis auctum, doctissimum et probissimum omnium hominum animalium effecerint, et si ipse tandem his suffultus adminiculis in id omnibus cogitationibus et omnibus veribus elaboraveris, ut potestatem adipiscaris, quaverus Dei natus evadas, nihil efficies, nisi Eum receperis, quem sui non recipiebat. Sed quomodo, inquis, Eum recipiam? Sola fide, non docta, sed vera, non erudita, sed viva, verbo: Non Philosophica, sed Christiana, non acumine puræ rationis, sed lumine putæ revelationis estimanda.